



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Phosphorvs sive Ioannes Baptista nativitas, vita, mors**

**Cabilliau, Baudouin**

**Lovany, 1642**

Elegia 6. Ioannes Christum aqua Iordanis perfundit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70001](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70001)

Aduolat, & molli pueri vestigia linguâ  
 Prælambit, tenero fractus amore lupus.  
 Inclinant & amœna suas palmeta coronas,  
 Submittitque pari Cedrus honore caput.  
 Omne caput fontes, amnes sua cornua tollunt:  
 Prona sed vna suas Naiados vndat opes.  
 Ima labrusca diu, caput exerit ardua cœlo,  
 Et dulcis sterili vite racenus abit.  
 Inque vvas hederæ stirps educat alma corymbos.  
 Et rubet ignotis picta myrica rosis.  
 Glandiferam pomus comes induit obuia quercum,  
 Vlmus alit succis ebria poma suis.  
 Quot numerat Crispos penna Zephyritide fluctus  
 Æolus, aut tremulas ventilat aura comas.  
 Et tot delicias legit hinc, legit inde puellus,  
 Hic, vbi delicijs spes sibi nulla viret.  
 Ne mihi quis puerum desertis credat arenis  
 Degere, cui pauper laura sit aula specus.  
 Si breue quid saxi magnus quo secubat, hospes,  
 Temnis: at hoc ingens hospire crescet honos.  
 Non ego prætulerim tali Salomonida, arces  
 Spelæo, Superum quod chorus ales obit.  
 Sol tot vt astra breui vidit radiare cauernâ:  
 Rupe sub hac, paruum credidit esse polum.

*Elegia 6.*

**Ioannes Christum aqua Iordanis  
perfundit.**

**N**unc istis erit vsus aquis, quas voluit Iordan.  
 Influet angustum lymphæ beata caput.  
 Quantus honos! ibunt Nymphæ contingere Numen,  
 Nymphæ, queis auro carior vnda fluet;  
 Pulchrior & gemmis, nitido decor ibit in imbre,  
 Purus vt attigerit candida membra liquor.  
 Puluerens situs ergo Deo vestigia fuscet,  
 Aut pingui domini planta fiat vncta luto?

Hic

Hic mera mundities, nitor ipse nitoris, & ipse  
 Candor inest. & tu pura lauacra paras?  
 Dic, quid agent castæ ripâ e Jordanide Nymphæ,  
 Si niueo Christi corpore squallor abest?  
 Nos potius putri queis vita sepulta lacunâ,  
 Diluat albenti prouida Nymphâ manu.  
 Nos siquidem miseros atro sub dente draconis,  
 Turpibus incestat putida Lerna probris.  
 Eia, nigros niueis Lymphis simul hos, simul illos  
 Imbue, queis vitæ lymphida vena fluat.  
 Mirabor nitidum turpi modo puluere pectus  
 Laueris; Alpinas iam superare niues.  
 Sed potius riguâ Christi caput impluc dextrâ,  
 Sic iubet, i; facili iussa faceisse manu.  
 Et si nullus erit squallor, tamen elue nullum.  
 Inde decora mei forma nitoris erit.  
 In caput hoc, si fons Jordanide depluet urnâ;  
 Appluet in corpus riuus vbique solum,  
 Quin etiam totum septemfluus ibit in orbem,  
 Fons, sed inexhaustis qui satur vndat aquis.  
 Non qui de Libano riguos decurrat in agros;  
 Sed cui de cœlo lymphida vena salit.  
 Ibit iò Jordan Nilo non parciôr amnis,  
 Cui septem geminis gloria manat aquis.  
 Idque vbi Christe tuum lymphâ rugat vberè corpus.  
 Vnde sacer toto defluat orbe liquor.  
 Quale decus! totum lauis hoc in corpore mundum!  
 Ceu par diluuiò, tantula lymphâ foret.

*Elegia 7.*

**Iræ diuinæ fulmen in Iordane  
Ioannes exstinguit.**

**Q**Uæ procul herbbsâ ripâ fecundus & aluco,  
 Denarat Isacidum Nilus, & arua rigat;  
 Puluis humo surgens liquidâ sub nube Tonantem  
 Vmbrat, & affusus vndat vt imber, aquis.

Q ij

Prò